

**Dissertatio inauguralis chemico-medica, de vitro antimonii cerato ... /  
auctor Christianus Ludovicus Bilfinger.**

**Contributors**

Bilfinger, Christian Ludwig, 1736-1803.  
Gmelin, Philipp Friedrich, 1721-1768.  
Universität Tübingen.

**Publication/Creation**

Tubingae : Typis Erhardti, [1756]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dtgr6kj>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAVGVRALIS  
CHEMICO-MEDICA,  
DE  
**VITRO  
ANTIMONII CERATO.**

---

HANC,  
CONSENTIENTE GRATIOSA FACVLTATE MEDICA,

PRAESIDE  
VIRO  
EXCELLENTISSIMO AC EXPERIENTISSIMO,  
DOMINO

**PHILIPPO FRIDERICO GMELIN,**

MED. DOCT. BOT. ET CHEM. P. P. O.  
FACVLT. SVAE p. t. DECANO,

PRAECEPTORE SVO AETERNVM COLENDO,

PRO LICENTIA,  
SVMMOS IN MEDICINA ACQVIRENDI HONORES,  
a. d. APRIL. 1756.

DEFENDET

AVCTOR

CHRISTIANVS LUDOVICVS BILFINGER, *Sielmingensis.*

---

TVBINGAE, TYPIS ERHARDTI.

\* \* \* \*


*Infidum cerâ celat medicina venenum;  
Sic morbi stimulus dividit acre minus.*



*Q. D. B. V.*


## P R A E F A T I O.

**N**olo diffundi, in commemorandis istis rationibus, quae thema hoc suadebant. Inquisivi tale in argumentum, quod sese & usū & novitate commendaret sua. Utrumque spero fore ut sistatur. Multoties *Excellent. Dn. Praeses*, quos ex medicamento hoc hauserat fructus, pro ea, qua in me nunquam non fuit benevolentia, privato enumerabat discursu. Commendavit idem orbi medico pag. 28. dissertationis priori anno, me Respondente, habitae, quae inscripta erat: *Botanica & Chemia ad praxin medicam applicata &c.* Verum abhorrei tale, quod multum iam ab eruditis detritum esset, dissertationis argumentum, ne, undique collatis operâ meâ membris, turpe misceretur chaos. Cum autem semel hoc incidisse in thema, totus in eo esse studui, ut, *naturalem semper sequens dicendi ordinem*, in forum medicum aliquid protruderem, quod esset vendibile.



Iuvabit succinatum medicamenti huius nestere hic *historiam*. Primus, qui hoc medicamentum vel invenit, vel in usum vocavit, fuerat *Dn. Steele, Pastor Lochmabii, Scotiae meridionalis civitatis*. Accepit postea *D. Georgius Youngius* medicamenti huius formulam. Fidem isti primo denegavit, venenum viso. Tandem, summa usus circumspetione, effectus obtinuit, omnem spem longe superantes. Noluit, alios latere hoc medicamentum, dysenteriae potissimum dicatum. Tradidit igitur huius medicamenti descriptionem *Dno Job. Pringle, Med. D. Societatis Medicorum Collegae, in academia Edinburgensis Ethices Professori*. Praelegit is amici laudabile consilium medicorum concioni, quo factum est, ut locum inveniret in Actorum huius Societas Tom. V. Part. I. n. 15. p. 238. quæ *Altenburgi à Cl. Dn. D. Koenigsdaerfer* in vernaculam nostram translata, excudebantur sub titulo : *Medizinische Versuche und Bemerkungen, welche von einer Gesellschaft in Edinburgh durchgesehen und herausgegeben werden*. Migravit porro medicamenti huius gloria trans mare, ad *Gallos*. Cl. *Dn. Geoffroy* sententiam suam, describendam deinde, proposuit dans les *Memoires de l' Academie Royale des Sciences, année 1745.* pagina mihi 230. Cl. *Dominus du Hamel & Cl. Dn. Arnaud* plane egregium, quem ipsis praestitit usum, commemorant dans l'année 1746. Ante biennium & quod excedit, *Tubingae, Stuttgardiae* dein, sparsimque nostram per patriam, in usum vocari coepit, ubique eodem respondente eventu, i. e. felicissimo.

Tentabo, ut specimine hoc academico aliquid ad divulgandum ulterius eius usum conferam. Faxit Deus, ut qualescunque nostrae meditationes in sui gloriam, aliorumque cedant salutem. *Vitia iuventus nostra excusabit, reique difficultas!*



## §. I.

**V**aria dantur *vitra*, quæ parari solent ex *antimonio*, ut plurimum non nisi colore differentia. Decem indicat *Schroederus* varietates a). Ut enim colores vitro huic concilient varios, varia ipsi miscent; modo *boracem*, modo *sulphur*, modo *gemmae sal*, modo *auripigmentum*. Verum his humani ingenii lusibus non immorabor. Placet id tantum penitus considerare, quod vitro antimonii *cerato* basis est, sc. *hyacinthinum*, quod sola paratur calcinatione, neque ullius materiae additione eget, dum antimonii crudi, quantacunque lubuerit, portio, in patina terrea in pollinem *grysei* coloris convertitur, atque dein fortiori calore denuo liquatur, & super marmoreum lapidem aut cupream laminam effunditur b). Dum haec aguntur, fumus exit albus, densus, foetidus, qui, procul dubio, quoad maximam partem sulphur antimonii est. Vitrum hoc est *virulentissime emeticum*, hominibus vero venenum c), animalibus non item, quibus non nisi anxious motus vomitusque provocat d), sicut in genere quadrupedia multo minus validioribus adficiuntur medicamentis, ac quidem homines e). Si rei huius investigare volumus rationem, multae se se nobis offerunt difficultates. Sunt observationes de venenis

a) *Pharmacopoea medico-chemica*. Francof. 1669. p. 422.

b) *Pharmacopoea Wirtenbergica*. T. II. p. 221. Stutg. 1750.

c) Teste Barnero, Uladislaus, Poloniae rex, XVI. eius granis, sibi exhibitis, internectus est. Conf. quoque Wepfer. in *historia Cicut. aquatica*. Basil. 1716. pag. 254. seqq. Conf. omnino Frid. Hoffmanni *Opusc. patholog.* pr. dec. 2. Diss. VII. p. 456. ubi ab octo granis vomitus, convulsio, mors.

d) Sproegelii diss. inaug. sistens experimenta circa varia venena in vivis animalibus instituta. Goettingae 1753.

e) Non possum quin exemplum referam, quod mihi ipsi se obtulit. Cani, non nimis robusto, Tartari Emetici grana IV. exhibui; is vero non nisi tribus vicibus, sine magna vehementia inde vomuit, quae dosis in viro, ceterum satis robusto, sine dubio, hyperemetin excitasset.



nis & emeticis, quae oppido brutis sunt deleteria: cum tamen homini non nisi vomitus excitent, certe, eadem dosi data, non mortem inferant. Dubius inde haereo, num confidenter satis asserere liceat, differentiam effectus a maiori robore corporis assumentis pendere, maiorive ingesti efficacia. Annon potius oportet effectus repetere a discrimine corporis assumentis utriusque, ubi non tam robur discrepantiam facit, verum potius diversa utriusque corporis dispositio, alia e ratione, efficaciae ingesti plus minusve resistit, eandemque impedit activitatem?

## §. 2.

Differt *antimonii vitrum* plurimum ab omnibus aliis istis calcibus, quas alias parare solent ex antimonio. Placet investigare, quantum discrepet vitrum ab antimonii ista calce, falso *diaphoretica* dicta. Quoad usum medicum differre est in propatulo; haec enim non est, nisi terra semimetallici, ad sensum iners plane, leniter desiccativa, cum ab acidis non mutetur\*), & ultra primas vias certo evagari non possit. Verum & hic fido experimento nullo efficax censeri potest, nisi supponas aliquam partem non in plenam esse mutatam calcem, aut non omnes salinas particulas ablutas esse, quod vero contra præparationis regulas peccaret. Inde sane ex diaphoreticorum ordine est proscribenda, quod laudabili consilio fecit *Cl. Dn. D. Loefcke* f). Verum, quid de ea, chemicis examinata principiis, dicendum mihi videatur, hic enarrabo. Eam scil. ingredior opinionem, ut putem, detonatione ista, nitri ope facta, particulas antimonii metallicas destrui plane, non solum quoad combinationem cum reliquis antimonii partibus, sed & secundum indolem & genium partium metallicarum ipsarum. Patet hoc

\*) Experimenta hanc in rem instituit, mira, ut iam exaratis his vidimus, nobiscum sentiens b. Rudolph. Jac. Camerarius in thesibus medicis inauguralibus, resp. Zellero. Tub. 1715.

f) Abhandlung der außerlesensten Arz-

neymittel. Berlin. 1755. p. 231. Nolo autem ratiocinationibus his iis contradicere, qui miram in illo experientia sua deprehendisse diaphoreticam vim, sibi persuadent. Nos enim, non nisi ex iis iudicamus hic argumentis, quae chemia offert.

hoc exinde, quoniam calx haec redigi in regulum ulla hactenus nobis cognita arte nequit. Demonstratur hoc nobis potissimum in *materia ista perlata*. Haec enim omnibus numeris vera calx est. Obiectio ista facile diluitur, quam formari video. Putasset quis, obloqui me experientiae, quae antimonium diaphoreticum, *quoad aliquam partem*, in regulum, addito phlogisto, reduci posse affirmat. Sed anne stibium diaphoreticum *omne vera calx est?* Nihil inde probatur, nisi id, quod non sufficiens adhibita fuerit nitri quantitas, quae in calcem convertere potuisset antimonium *omne*. Fac igitur, novam stibium hoc diaphoreticum experiatur detonationem. Videsis, utrum valeas ex cineribus suis revivificare regulum. Habebis materiam perlata, tuam semper eludentem diligentiam. Tentabis reducere vitrum, & diutissime tostum: obtinebis regulum! Habemus igitur characteres istos essentiales, qui antimonii vitrum a calce eius diaphoretica distinguunt.

### §. 3.

*Vitrum antimonii vomitus excitare, eosdemque vehementes iam diximus §. I. Sed qua ratione id fiat, in eo iam erimus occupati.* Apud omnes, quoscunque hanc ob rem in consilium vocavi, auctores, nihil deprehendi, nisi aliquod: *mirari subit*, altumve silentium. Insulse plane egit *Hermannus* g), dum vitro huic sal aliquod volatile purgans cum terra adstringente inesse asseverat. Quivis enim perspicit, quid misera talia effata sibi velint. Neque sufficit, tenello quidem meo iudicio, ceterum affabre satis efficta *Cl. Dni Geoffroy* theoria. Afferit is h), stibii vim emeticam a certo quodam salium & sulphurum consortio, & quadam earum proportione pendere; ita quidem, ut sulphura a salium particulis non nimis irretiantur, facile rarefcere & expandi possint; nec non etiam, ut salina spicula non crassiora, non fixiora, non maiori copia adsint, & tamen sulphureis partibus adhaerentia facile

ab

g) Pauli Hermanni Lapis Lydius *materiae medicae, praefixus institutionibus materiae medicae* Teichmeierianis, p. 19. Jen. 1737.  
h) *Mater. Medic. T. I. p. 235.*



ab iis abripiantur & eleventur. Si in ventriculo iam fiat, ut volatilitate sua eius tunicam superiorem convellant salia, oriri vomitum; si in intestinis demum ista rarefiant sulphura, sedes provocari; si in sanguine, diaphoresin urgeri. *Haec Dn. Geoffroy.* Verum enim vero, si fateri gestimus, quod res est, neque haec theoria satis explicat. Si enim vitrum antimonii attente perquirimus, non nisi *fixa* omnia deprehendimus; tam diu enim in igne debet detineri, donec omnis cessat fumus, eodem auctore id praecipiente i). Ergo ventriculi calor nil reddit volatile, quod abigere nequivit ignis. Deinde vix puto, probari posse, restitisse sulphuris aliquid in vitro antimonii, certe non multum. Id enim observatio docuit, non omnia corpora, etiam calcinando, omni emungi posse suo phlogisto. Inde quoque videtur terrae antimonii metallicae arctissime nuptam esse quandam sulphuris partem, quae renuit separari, cum ex ipso singulari connubio fixa reddita sit; uti e contrario saepe fit, ut fixa corpora, si ipsis addideris volatilia, induant alas. Porro, aliquid remanere sulphuris, docet reduc<sup>t</sup>io antimonii vitri in regulum, cum antimonium diaphoreticum priori ornari forma regulina nunquam possit. Arguit idem *Tinctura rubra Boylei* k), quam parat, dum verum antimonii vitrum quibusdam acidis spiritibus *cum* vel *sine* spiritu vini extrahit. Acida enim & alcalia mixta partibus, sulphura & olea continentibus, rubrum producere colorem, idem notat l). Interim, infinite paucum, id esse debet, quod restat, sulphur, quod simul fixum satis est, uti in prioribus demonstravimus lineis. Porro: ubi sunt ista salia, quorum cum sulphureis partibus fieri debet combinatio? Neque idem auctor, neque alii ullibi antimonio eiusve regulo sal aliquod proprium inesse dixerunt; neque licebit unquam deprehendere aliquod, nisi forsan id, quod postea dicetur. In praeparatione vitri antimonii nullum accedit sal §. i. Ergo nec ex hoc momento datur perspicere theoriam *Dn. Geoffroy.* In antimonii butyro v. gr.

i) Libr. cit. p. 222.

k) *Experimenta & considerationes*

de coloribus. Londin. 1665. p. 286.

l) Ibidem.

v. gr. & bezoardico minerali id forsan obtinere posse, non negaverim plane. Sed id neutiquam concipere possum, eadem fieri in vitro. Veritati magis accedit *Frid. Hoffmannus*, qui m) statuit, vitrum antimonii agere sale subtilissimo, acerrimo, caustico. Interim tamen scapham non audet dicere scapham, neque determinat, cui maxime venenorum generi sal hoc debeat adnumerari. Missis itaque aliis, recensebo, quid ego sentiam.

### §. 4.

Illud, quod in vitro antimonii emeticum est, quaeri debet aut in partibus regulinis, aut alio in corpore, quod unitum est vitro ipsive antimonio. Regulinae partes ipsae emeticum esse nequeunt. Vis enim poculorum emeticorum desinit tandem esse emetica. Contrariantibus aliis oppono vel *solam Boerhaavii* auctoritatem, qui mihi instar omnium observator fidei probatissimae n). Adiungere ipsi possum consensum Domini *le Mort* o), qui finitas omnino vires antimonii vitro adscribit p). Si vis emetica ex regulinis particulis foret, cur non pergeret esse eadem, mutato vix poculi pondere? Ergo decet hanc virtutem quaerere alibi. Decet quaerere in corpore aliquo, facile per menstruum conveniens a vitro avellendo, cuius tamen parva admodum portio tales excitare motus possit. An *sulphur* id facit? Dubitamus iure, eodemque maximo. Sulphur antimonii nil est, nisi sulphur vulgare, cui adhaeret aliquid portionis regulinae. Sulphur igitur antimonii per se, quatenus liberum est a particulis regulinis, nullum excitabit vomitum. Quid? quod! certo constat experimento pratico, sulphur antimonii eo longius ab omni emetica discedere vi, quo maiori cura separatum est ab omnibus regulinis partibus. Ast de particulis regulinis diximus. Dices forsan: at nescimus, quid combinatione duorum horum

m) Medic. Rational. System. Hal. 1720. T. II. p. 186.

n) Element. Chem. P. II. p. 443. Lips. 1732. ubi ita habet: Vis tamen haec (emetica) cito satis exhauritur infusionis repetitione, sine

magna iactura substantiae (poculi).

o) Collectanea chymica Leydensia, edita à Morley. Lugdb. 1684. p. 53.

p) Aliud, idemque validum argumentum, ordo voluit ponit ad finem §. 6. hui. diss.



*rum corporum fiat?* Bene! Sed ut omnia praescindam dubia, tibi in memoriam revocabo, omne fere in exilium agi sulphur, quod iam §. 3. sollicite adstruximus. Addo hīc, nostram probari opinionem reguli vitrique praeparatione; vaporibus istis, quos calx antimonii undique spargit, sulphureis, dum in vitrum mutatur; probatur ea observatione, quae docet per spiritum vini nullam extrahi e vitro antimonii vim emeticam q). Stat igitur sententia, sulphuream in vitro antimonii partem non esse, unde vim emeticam vitrum habet; experimenta certe id nondum nobis persuadere, immo potius declarare ea contrarium. Ex his patet, cur nimium a veritate discedat *Cl. Dn. D. Eberhard*, statuens, venena maxime operari per phlogiston, in ipsis absconditum r), cum partim in vitro antimonii nullum amplius adsit sulphur, saltim paucum, idemque fixum satis; partim, quoniam sulphur & principia inflammabilia quaeque imminuunt venenorum ferociam; immo vero, multā toxicis addita copiā, eadem plane innoxia reddunt, quod posterius erudite admodum monet *Celeberr. D. D. Vogel* s).

### §. 5.

Ex his igitur nullatenus aliqua elicetur virium emeticarum, in fibii vitro obviarum, explicatio. Quodsi autem catalogum corporum istorum simplicium pervolvo, quae in nobis vehementissime parca operantur portione, facile provehimur ad *Arsenicum*. Habet illud omnes istas dotes, quae explicandae feroci actioni vitri antimonii famulantur. Non negaverim, arsenicum, ut semper emeticum t), deprehensum haec tenus non esse. Interim tamen, cum tanta sit dilutum fluidi quantitate, ac quidem infusum vitri antimonii exhibetur, sc. ad uncias duas, vero admodum simile est, posse id qualemque iam ventricu-

lo

q) Loescke libr. cit. p. 603. nr. II.

t) Sproegel tamen, diss. cit. assertit p. 50. ab arsenico productos esse

r) Gedanken von der Wirkung der Arzneimittel überhaupt. Halle. 1750.  
pag. 151.

vomitus praeter alia mala, & haud raro in iis, qui non nimium vene-

s) Medicinische Bibliothek I. Theil.  
pag. 400.

ni huius sumunt, iidem succedunt. Conf. etiam Frid. Hoffmanni Med. Rat. System. T. II. p. 190.

lo imprimere stimulum, qui talibus effectibus producendis par sit. Ubi enim emeticorum & purgantium operationem in corpore nostro per prolixia ratiocinia invenire & detegere volumus, sane in labyrinthum devolvimur, omni destitutum filo ariadneo. Judicamus igitur, tutissimum esse, soli aures praebere experientiae, & castis observationibus id agere, quod alii longa consequentiarum fabricatione, saepe insulse satis, praestare allaborant.

## §. 6.

Enumerandis iam coacti rationibus statuimus inesse vitro antimonii plurimum arsenicalis substantiae u), aut, si mavis, hoc ipsum vitrum esse arsenicum, mutata paulisper veste incedens. Id ut eo evidentius redderem, repetii aliqua, quae Dn. Macquerus circa arsenicum instituit experimenta v), quae magna ex parte idem probare visa sunt. Afferit Macquerus, *flavum* praecipitari *mercurium vivum* ope Arsenici. Dissolvi igitur in Spiritu Nitri mercurium; addidi ipsi infusum vinosum vitri antimonii, & praeceps cecidit pollen, aurantii coloris. *Limaturam Martis* per arsenicum cadere colore *ex albo - flavescente*, docuit idem. Repetii hoc, dum limatura Martis, in aqua forti solutae, admiscui dictum infusum. Obtinui pulverem, qui flavescebat ex albo. *Plumbum*, uti ipse observavit, *album* deiectum est. *Bismutum*, in spiritu nitri solutum, debebat secundum observationes Macquerianas album cadere. Non dissimulabo, ad flavum parumper inclinasse pulverem, sed maxima ex parte albidos erat. *Vitriolum viride* in grumos abire tradidit. Ubi istud dissolveram in satis copiosa aquae quantitate, ita, ut aqueum colorem obtineret solutio, adfuso vino, in quo vitrum antimonii per noctem iecerat, pulvis viridis praeceps datus est, neque grumos agere potuit, ob nimiam aquae quantitatem.

Cor-

u) Neque vero illud hic volò *arsenicale principium*, quod adeo urget de re medica Eruditione sua meritissimus Dn. D. Vogel, in instit. chem.

§. 95. seqq. Multo purius arsenicum hic suppono.

v) Memoires de l'Acad. des Sciences de Paris. année 1746.

Corroboro haec artificio isto w), quo, ope aquae calcis saturatae, vitrum antimonii multum suis nocivis viribus exuitur. Vitrum scilicet hoc per triduum in aqua calcis digestum, ita mutatur, ut ad duodecim usque grana id exhibere permittatur; immo oculatissimus hic observator anonymus septies ita digestum, putat redigi fere in materiam aliquam, *stibio diaphoretico* viribus ferme parem. Inde sic tuto argumentor: Quodsi partes regulinae vomitus facerent, cur non pergerent provocare eosdem, infusionibus septies repetitis? Ergo id, quod emeticum inerat, certe quoad multam partem, eductum est x). Notatur vero, si cruditates acidae inhaereant ventriculo, dysphoriam excitari aut vomitus y), mala autem haec pauci esse momenti. Autumo hinc, id quod reliquum est arsenici in vitro stibii, extrahi faburra hac acida, & ventriculo molestum esse; cum vero parca eius sit quantitas, non adeo tristibus infensum esse posse corporibus nostris effectibus. Idem docetur, cum crocus metallorum, cui pro basi est vitrum antimonii, ita corrigatur per aquam calcis, ut decem eius grana *sedes* non nisi duas excitaverint.

### §. 7.

Addo alia his argumenta. Momentum aliquod facit, quod arsenicum etiam vino dissolvi queat, uti ipsa aqua id agere valet z). Vitrum antimonii, verus metallorum lupus, omnia fere corpora metallica, teste Boerhaavio aa) igne actum validissimo, in auras distrahit. Idem facit Arsenicum bb). Annon vitrum antimonii id peragit ex indole arsenicali? Certe haec proprietas a reliqua facie metallica & antimonii, & vitri eius, prorsus abludit. Conducit optimorum chemicorum consensus

w) Commemorat id des Hamburgischen Magazins fünfzehnter Theil. 1755. 1. St. s. 14. 15. ubi egregia circa aquam calcis instituta sunt experimenta.

x) Hæc maxime Boerhaavianum istud §. 4. sub initium dictum, confirmant.

y) Conspirant haec cum iis, quae §. 15. hui. diss. dicentur.

z) Macquer *Anfangsgründe der theoretischen Chemie*. Leipzig. 1752. p. 178.

aa) Element. Chem. loc. cit.

bb) Macquer libr. vix dicto p. 177.

fus, qui docent, antimonium indoli huius semimetalli aut valde affine esse, aut omnino arsenici aliquid inesse stibio ec). Docimasia omnis id confirmat. Multis iam ab annis observarunt metallurgi, metallica quaevis fere corpora principio arsenicali esse inquinata. At recentior demum artis metallurgicae scriptor *Lebmannus* demonstravit: generari metalla & mineralia corpora tantum non omnia ex arsenico, terraque singulari metallica, suo tincta sulphure. Verum, quod magis est, specifice antimoniale inter regulum & arsenicum tanta occurrit phaenomenorum & relationum ad alia corpora symphonia, ut, qui collegit, & collecta describit dd) ea reguli antimonii singularia phaenomena, celebris metallurgicae artis magister, *Cramerus*, non dubitet asserere, videri sibi totum reguli antimonii & arsenici discrimen consistere in eo, quod arsenicum in antimonio per vitrescentem terram sit fixatum. Addit, fieri inde, quod antimonium, metallis admixtum, ustulatione sola vix queat ab iis dissipari, immo vero id, dum, liberiori igni expositum, avolat, ipsas destruere simul metallicas partes, & reddere volatiles. Momenti forsan quid adfert, si analogiam symptomatum istorum intuemur, quae sumto antimonii vitro & arsenico consignavit *Celeb. Wepferus* ee), quamvis non negemus, plurimum ea haud probare. Si quid valet aliorum auctorum consensus (at certe probabilitatis loco erit scriptori novitio), nescio, utrum mihi non liceat producere *Kerckringium*, qui ff) monet, vitrum antimonii omni veneno destitutum non esse, quod, quamdiu antimonii partes salinae in suo vigore persistant, tamdiu arsenicalem figuram & constitutionem praese ferant.

### §. 8.

ec) Idem, libr. cit. p. 179.

ee) Historia Cicutae aquatica, pag.  
249. seqq.

dd) Element. artis docimasticae. P. I. Theoret. Lugdb. 1739. p. 35. 36. §. 5. 77 - 82.

ff) Commentar. in Basil. Valentini Curr. Triumph. Antimonii. Amstel. 1685. p. 143.

## §. 8.

Video iam eminus, formari adversus omnia haec, *dubia varia*. Duo maxime discutienda sunt. An satis probant dicta §. 6. experimenta arsenici in antimonii vitro praesentiam? Annon eadem praecipitata etiam ab alio corpore, v. gr. a solutis regulinis partibus, possunt redi? Evidem certus sum, a vino id fieri non posse. Si sulphur incusas, nos defendimus iis, quae §. 4. dicta sunt. Si particulas regulinas praecipites tales stravisse pulveres putabis, denuo eandem habebis responsonem; immo eo ipso haud obscure fateberis, *arsenicale* quid subesse, nam ferre omnia instituta experimenta id egerunt, quod *Arsenicum* apud *Macquerum*. Alterum, idemque speciosius argumentum sic habet: Annon avolat arsenicum, quod alias satis volatile est? Concedimus, a priori ut aiunt, multum hic dici non posse. Interim tamen, si omnia ea consulamus, quae a §. 4. ad 7. dicta sunt, & praecipue ea audiamus, quae §. 7. ex Cramero excitata sunt, cum oppido exempla sint in promtu, quae nos edocent, ita saepe volatilia figi a fixis, quibus intime, maxime ab ipsa natura sunt unita; si, inquam, omnia haec attenta volvimus mente, exigua tantum obiectioni huic restabit veritatis larva. An figuntur itaque arsenicales particulae a regulinis? An arsenicum eum perferre potest ignis gradum, qui stibium in calcem convertit antea, quam candeat? An candente stibio demum avolat arsenicum? Sed cur non idem exercet regulus in sulphur? An eam ob causam, quoniam sulphur magis volatile est, quam arsenicum? An sulphur lubentius auras petit, quam ut figi se patiatur a partibus regulinis? An in *antimonio diaphoretico* fieri potest, ut remaneat aliquid arsenici? In rite praeparato, beneque calcinato, non videtur. Annon inde nova eius a vitro differentia?

## §. 9.

Omnia igitur haec argumenta, *simul sumta*, indicare videntur arsenici in stibii vitro praesentiam. Inquiramus iam ultius in vitri deglutiti actionem. Bini potissimum sunt modi, quibus operationem eius explicare quis posset. An agit illud *spiculis*

spiculis acutis metallicis? fibras ventriculi perfodientibus, irritantibus, & sic ad vomitum disponentibus? Evidem quantumcunque alias *Boerhaavium*, mortalium immortalitate dignissimum, veneror, hic sane ab eo discedere cogor. Ubi enim is de acrium actione loquitur gg) telis & gladiis suis nimis liberalis & periculosus est. Quis *salia*, abundant aquae quantitate soluta, dixerit hoc modo activa fieri? Certe oculatissimi observatores in solutione salium nil tale vident. Et si *salia* suis spiculis acutis agerent, cur quae so nullum imprimunt iis sensum, quos acuti tenent morbi, qui linguam eorum reddiderunt aridam, ita, ut ne minimum sentiant doloris, quamvis *salia*, etiam acerrima, linguae eorum adfricata fuerint. Haec nihilominus vera sunt, licet solutio in mera consistat divisione mechanica particularum integre salinarum, quae fit per interpositam aquam; ut facilis docet per leges crystallisationis horum salium regeneration; & experimento quamvis nullo plena salinarum particularum in sua elementa resolutio demonstrari possit idoneo. Addimus, quod, ut chemici suis experimentis, quae aliis applicant *salia* corporibus, inveniunt, non agere illa, nisi soluta, sic certe semper efficacius (suo sensu), ita vero etiam haud dissimilis haec videatur conclusio: salium efficaciam in corpus humanum solutionem ad minimum non tollere. Quis *pilulas* istas aeternas ita in intestinis operari putaverit, undique acuratissime politas? Cur sal commune non eadem mala exercet, quam arsenicum aut Mercurius sublimatus? An ea est spiculorum in sale marino ratio, ut ita sint obtusa, quo minus queant nocere? At hoc non videtur vero simile esse. Quanta subtilitas inesse debet istis spiculis salinis, quae offeruntur in aqua forti regiaque. Deinde cur liquor anodinus mineralis Hoffmanni non est venenum, cum tamen Oleum Vitrioli tale sit, & dulcificatio salium eorumque spiculorum formam mutare posse non videatur. Certe ex Spir. Vini & encheireseos dulcificationis indole ne minimum id patet. Cur crocus metallorum oculum non laedit vulnusve, sed ventriculum, etiam medii grani pondere sumtus

gg) Tract. de viribus medicamentorum. p. 18, 19. Jenae 1752.



sumtus misero cruciatu cur subvertit \*)? Certe si spiculorum theoria omnibus in salium generibus stare firmo volueris fundamento, phaenomenorum horum explicatio, nisi impossibilis, difficillima tamen erit. Multo liberalior est Cl. *Dn. Nicolai* hh), cui subscribere nolle, afferenti, viscidum ventriculi sulphureum uniri debere salibus, ut intrudi queant in fibras. Non nego, multa, modo illo, à Boerhaavio dicto, operari posse acria; verum ita de Cartesii secta esse nolle, ut haec adeo universali pronunciarem dictione. Puto enim verè ornare subinde Medicum sinceram ignorantiae suae confessionem, quam hic effugere tanto potest minus, si candide vult agere, quo pluribus undique se tenebris circumfusum experitur, quoties vel emeticorum species omnes, vel idiosyncrasiae humanae varietates cunctas, vel modorum discrimina, quibus excitari vomitus potest, serio secum perpendit animo.

### §. IO.

Supereft, ut dicam, quid ego ex theoria, hactenus proposita, veritati existimem simile. Vitrum antimonii, dum ingestum est, variis irroratur liquoribus, saliva, muco glandularum oesophagearum, liquore enterico, immo & subinde potulentis, ingestis prius. Haec vero, penetrantia in vitri aditus quosvis, avellunt a regulinis partibus, partes *arsenicales*, quae deinde, *si placet*, intropremuntur inter fibras membranarum ventriculi, aut etiam nervos ventriculi ob figurae suae rationem vellicant, vel forsitan (quoniam liberum iam arsenicum calore ventriculi naturali incipit suam exserere volatilitatem, neque difficultatem movere potest, quod calor ventriculi minor sit eo, quo vitrescit antimonium \*\*) solo suo odore alliaceo eosdem graviter adficiunt, & hoc modo vomitui velificantur. Nam veritati videtur simile, forte magis irritabiles ven-

\*) Boerhaavii praelectionum cum  
notis Ill. Halleri T. VI. p. 389.  
hh) *Systema Materiae medicae*,  
T. II. p. 245. Halae 1752.

\*\*) Arsenicum volatile quidem reddi nequiret: at cogitandum erit, id iam liquoribus ventriculi ex vitro eductum esse.

ventriculi nervos distinguere felicius posse olfactoriis, ut certe passim ab effluviis huiusmodi gravius his moveantur. Eam enim ingredior opinionem multa medicamenta, etiam in ventriculo, solis suis effluviis odoratis nervos graviter ferire & valide afficere posse, inque iis motus excitare varios ii). Haec de antimonii vitro generatim dicta, sufficiunto!

### §. I I.

Sicut ex antimonio vita & mors pro vario praeparationis modo, elicitor: ita in praesenti nostra tractatione medicamentum aliquod sistitur, salutiferum plane, simplici arte natum ex antimoniali veneno. Formula eius sic se habet kk): *In cochleari ferreo in fluxum redigatur cerae citrinae drachma una; fluenti misceatur vitri antimoniī, in pollinem redacti, uncia una. Per semiborium detineatur super lentum sine flamma ignem, & spatula agitetur. Remotum ab igne effunde in chartam albam. Fac, siat pulvis, in usum servandus.* Vitrū una cum cera fluit, & drachma ponderis amittitur ll). Quemcunque adPLICaveris ignis gradum, & quamcumque eius durationem, idem est mm).

### §. I 2.

ii) Munio haec auctoritate Ill. van Swieten Comment. T. II. p. 548.  
kk) Edinburghische Bemerkungen.

T. V. P. I. p. 242.

ll) Id enim antimonio solenne est, decrementum pati, dum igni erat expositum. Conf. Clar. Vogelii Programm. de incremento ponderis corporum calcinatorium. Goetting. 1753. & quamvis praceptor olim noster optimus D. D. Ioh. Georg. Gmelin in Comment. Petrop. T. V. p. 266. contendat, augmentum capere antimonii regulum calcinatum; fatetur tamen, tempus aliquod esse, ubi iterum pondus augmenti, protracta calcinatio ne, decrescat; ita, ut facile uniri

queant tantorum virorum experimēta. Et quod maximum est, p. 272. libr. dict. augmenti huius assertionem variis adhuc premi contrariarum partium dubiis, asserit, ita, ut novis demum experimentis ea evicta se daturum promiserit, quae haec tenus dubius quasi proposuerat.

mm) Ita Youngius. Verum tutissimum iudico multas ob causas, tempus id, eumque ignem non excedere, quae supra expressa sunt, modo nullae amplius adsint vitri particulae micantes, totaque massa eum nacta sit colorem, quem exhibet Nicotiana, naribus attrahi solita.



### §. I2.

Iam ergo *ceratum* hoc *antimonii vitrum* ipsum severiori subiiciam examini chemico-medico. Quod dum in me suscipio, eum sequar ordinem, ut primo iudicium aliquod proponam, quid mutationis hac ratione inducatur antimonii vitro. Iuvabit deinde, quos de isto praedicant, colligere usus; tandem vero profitebimur, quid sentiamus, de modo isto, quo suam in corpore humano exserit utilitatem, varia subiuncturi problemata practica. Evidem autem, me, si id praestitero, meo satisfecisse themati, quamvis non omne id exhauserim, quod de vitro antimonii dici poterat.

### §. I3.

Primo igitur loco, dum de mutatione meditor, quam ex inceratione patitur vitrum antimonii simplex, non sine usu erit, quid *Dn. Geoffroy* sentiat, hic, in latinam versum, transcribere. Ita vero ille nn): Multa cura repetii experimentum, adhibens vitrum antimonii, quod antea ipse praeparaveram. Statim, ubi in mortario ferreo in pulverem esset comminutum, id trans cibrum misi. Conieci pulvrem hunc in ceram citrinam fusam, & videbatur sensim sensimque imbibere ceram, quoniam, uti licet suspicari, acidum cerae se evolvit durante resolutione sua, & cera superficiebus grani cuiusque vitri adhaeret, aut quoniam cera usta in carbonem vertitur, cuius particulae phlogistae uniuntur particulis vitri, quo fit, ut principium suum inflammabile, quod antea perdiderant, recuperent, & denuo reguli fiant. At vitrum hoc, si in quibusdam casibus neque purgans neque emeticum sistit, sine dubio id inde fit, quoniam particulae pulveris obductae sunt specie quadam vernicis bituminosae ex cera combusta, quam acidi ventriculi succi non resolvunt, nisi difficillime; & scimus omnino, quod ex vario aciditatis succorum horum gradu dependeat actio

nn) Dans les Memoires de l'acad.  
Roy. des Sc. 1755. pagin. mihi  
232. sous le titre: Examen d'une

praeparation de Verre d'antimoine, specifique pour la dysenterie,

actio vitri antimonii, quod admodum minuta dosi datum nunquam purgantem effectum edit. Ut fierem eius mutationis certior, quam cera, vitro antimonii iuncta, producit, alio experimento posui integra frusta vitri huius in medio cochleare ferreo, eaque undique cera texi. Observavi, quod pro eo, ac cera fundebatur, & albo dissipabatur fumo, vitri fragmenta intumuerint, & bitumen aliquod referre visa sint. Horum frustorum alia emollita sunt in cera, ut mergerentur, & formam cavi cochlearis assumerent. Vitrum hoc postea adparuit instar fragmenti metallici, spissa obduicti vernice, tam diu super ignem detenti, donec vernix non amplius spargeret fumum. Fragmentorum orae rotundae factae erant, nigra splendebant, neque diffracta vitra vernicem amiserunt <sup>oo)</sup>). Frustorum horum medium verum erat antimonii vitrum, nullam passum mutationem. Hactenus *Dn. Geoffroy.*


### §. 14.

Inquiramus iam in ea, quae priori paragrapho indicavimus. Quid in antimonii vitro sit, demonstravimus §. 3 - 8. Cera autem non est, nisi oleum, per acidum aliquod coagulatum <sup>pp).</sup> Ubi igitur acidum cerae sublatum erit, resolvetur cera, & non erit, nisi *sui generis oleum*. Applicatis his ad nostra, videmus, ope ignis abigi acidum, quod oleum cerae coegerat. Restabit oleum. Cera fluens undique circumnatat antimonii vitrum, eiusque adhaeret partibus, hac ratione in vernicem aliquam conversa, omnino bituminosam & pinguem; oleum enim cerae verè bituminosae indolis est. Haec theoria igitur egregio nititur fundamento, & praecipue ea confirmatur obser-

<sup>oo)</sup> Experimentum hoc repetii. Eadem inveni. Detexi autem, calenti adhucdum vitro ceram in superficie ita tantum adhaerere, ut non admodum difficulti opera solis digitis eam abstergere potuerim, claro argumento, calorem internum ventriculi minorem esse eo, quo abstergi à vitro potest cera, aut &

ceram, semel frigefacto adhaerentem antimonii vitro, nullo inde liquari & avelli posse igne, certe non nisi valido admodum. Nam imposui furno valde calenti vitri cerati frustum, nulla facta cerae eliquatione.

<sup>pp)</sup> Macquer libr. cit. Part. II, pag. 629.



servatione, quam nos addidimus qq). Videtur quidem Cl. Dn. Geoffroy ab initio aliquam de reductione in regulum fovere coniecturam, eam autem ipsam altero refutat experimen-  
to. Neque sane illa multum cum veritate convenit, quia non nisi superficiebus vitri cera adhaeret, & ita quidem, ut haud difficulter abstergi queat, si quidem vitrum abduc calet. Hoe vero non ausim specialius explicare, qui fiat, ut frigefacta haec frusta vernicem suam, quantumcunque digitis trita, nullatenus dimittant. Interim, ut id credam, evicerunt observations.

### §. I5.

Porismata ex his deduci queunt varia. 1) Cur antimonii vitrum ceratum nullas excitat emeses? 2) Cur quandoque provocat vomitus? 3) Cur omnino producere deberet vomitus, si vitrum antimonii hyacinthinum spiculis acutis metalli-  
cis ageret? 4) Cur ceratum alvum movet, & quando? 5) Cur non? 6) Cur noxium, si acida multa in primis viis nidulan-  
tur? 7) Cur propinato hoc medicamento, potus, fermenta-  
tionem passi, damnandi? Paucis dilucidabo quaestiones has.

*Prima.* Vitrum antimonii, vernice hac vituminosa obdu-  
ctum, ita constitutum est, ut in eius ultimos recessus pene-  
trare nequeant humores, qui arsenicales particulæ possent au-  
ferre. *Secunda.* Si nimia adest nervorum ventriculi irritabili-  
tas, vel quando tales liquores insunt ventriculo, qui resol-  
vunt, abstergunt, vernicem hanc, ut acidi praesertim, ita ut  
deinde vitrum, & arsenicum, in vitro delitescens, menstruis  
pateat. *Tertia.* Vernix ista tam subtilis est, ut spicula illa sa-  
lina non obvolvere posset crustâ tam densâ, quae impediret,  
quo minus, actione parietum ventriculi, intrudi possent in tu-  
nicam ventriculi nerveam; certe tam profunde introagi sub his  
limitibus non queunt. *Quarta.* Recurrit responsio, ad secun-  
dam proposita quaestionem. Addo, teste observatione, lenio-  
ra emetica, ventriculum non moventia, quandoque intestina  
tamen ad alvinas egestiones provocare, uti fortiora purgantia  
saepè

qq) Vide illa, quae §. 13. nota oo) subiunximus.

saepe subvertunt ventriculum, antequam subierint intestina.

*Quinta.* Repetenda est, pro ratione circumstantiarum variata, responsio, primo addita porismati.

*Sexta.* Vide quaestionem secundam.

*Septima.* Faciles in aciditatem ruunt potus fermentati, quae iterum vernicem bituminosam posset corrodere. Ordine enim naturali acida fermentatio excipit spirituosa. Ista vero calore corporis & oritur & fovetur, immo vero vix nominabis liquorem, fermentatione natum, acidi charactere non manifesto inquinatum. Addo, quod meabiles admodum spiritus ardentes ceram sponte sua solvant. Nemini porro erit dubium, spiritus eo acido scatere multo magis, quo puriores sunt illis, quos de vino aliisque liquoribus, fermentatione parant.

### §. 16.

Si quidem dissertationem hanc & practicum praestare volumus usum (at volumus largissimum) addenda erunt ea, quibus dosibus sit exhibendum antimonii vitrum ceratum, quibus medeatur morbis, & quibusnam opus sit circa usum eius cautelis.

*Dosis* rr) adulto ordinariò exhibenda, est à granis X. ad XII. Debilioris texturae homines ab initio non nisi V - VI. grana sibi exhiberi volunt, aucta dosi aut imminuta, pro ratione effectus.

Infanti decem annorum dentur II - IV. grana.

Ætas trium quatuorve annorum vult I - III. grana ss).

A parva copia initium faciat medicus, ab uno nimirum alterove grano, sensim pro re nata, per sequentes dies ad XVIII. immo XX. grana adscendendo. Doses ut plurimum tres sufficiunt aut quinque. Nec robusto subiecto ultra grana V. prima vice dentur.

Cautus sis, ne dosis eius cito augeas ante, quam effetus eius sit conspicuus, ne sequatur hypercatharsis. Sola haec est

rr) Edinburghische Bemerkungen. loc. cit.

ss) Philosophical Transactions. Vol. XLVII for the Year 1751. and 1752. London. 1753. p. 273. ubi habentur observationes de effecti-

bus vitri antimonii cerati, Gallice conscriptae à Cl. Geoffroy, & anglie versae à Cl. Thom. Stack. Conf. Comment. Lips. de rebus in scientia naturali & medicina gestis. T. III. pag. 32.



est ratio, ob quam *Cl. Dn. Pringle* usui eius non omnibus faveat modis, monet enim tt), moderatam ceterum dosin diversos apud aegros modo nimiam esse, modo non sufficere. Haec de dosi!

### §. 17.

Iam loquemur de *morbis*, quibus id opitulari comperti sunt medici. Excitabimus ulterius libros, supra dictos xx). Prodest in *dysenteria*, maxime *rubra*, sive *cum*, sive *absque* febrilibus motibus incidente. Conducit eius usus in *diarrhoeis* etiam, quamvis hic crebrius, quam in *dysenteria*, spem defraudaverit. *Hyperemesis* sistit. Usum habet in *haemorrhagiis uterinis*, uti & in *haemorrhoidum fluxu nimio*, immo etiam in *Colica*, a mucosa tenacitate, in primis viis stabulante, orta. Utilis est in *febre quartana* vel pertinacissima, & interdum quoque in *fluore albo*. In *febribus intermittentibus*, ter quaterve diebus intercalaribus adhibitum, saepe eas tollit. *Dn. Geoffroy* yy) exhibuit idem, ad imitationem *Doct. Paisley*, *Angli*, in *haemorrhagiis* quibusunque, quamvis illae & lipothymias habuerint comites. Adhibuit idem zz) in *Colicis Saturninis*, vulgo *Pielonum* dictis. Contra quascunque *nimas excretiones* id laudavit aaa) *Excell. Dn. Praeses* \*). *Idem* medicamentum nostrum summi esse nominis vidit, ubi *dysenteriae appetitus* deiectiones, viriumque prostrations succedebant, silente iam morbo principali. Nolo me immergere dubiis istis, quae alias formari solent contra medicamentorum fidem laudesque. Meis fungantur hac ex parte vicibus ii, qui saepius iam ad aegrotorum accesserunt lectos. Videant, utrum eventus confirmetur auctorum, hic dictorum, effata, quae tamen ubique morborum relationibus sinceris veritatis adepta sunt characterem.

Nolo

tt) Beobachtungen über die Krankheit einer Armee. Altenburg 1754. p. 260.

xx) §. 16. nota rr) & ss).

yy) Memoires de l'Acad. Roy. An. 1745. pag. mihi 233.

zz) Libr. dict. pag. mihi 230.

aaa) Dissertat. in praefamine dicta pag. 28.

\*) Providum autem oportet esse, censeo, ne eas, quibus crisi interdum moritur natura, praemature supprimat medicus.

Nolo, ut qualemque meum, medicamentum hoc omnibus commendandi, studium, plane nauci habeatur, eiusque osores vocitent:

*Quid tanto dignum feret hic promissor biatu?*

### §. 18.

Iungamus *cautelas practicas*. Dari potest, sive praemissa sint venaefectio & vomitoria, sive non. Interdum efficaciâ suâ aegrotis dysphoriam excitat & vomitus. Fere omnibus alvum laxat. Subinde vero absque ulla evacuatione accedente sanat. Dysenteria si ferox est, minus desident aegroti, hoc usi vitro, ac prius. Si nimis vehementer agit, aut aegrotum delassat, usus est suspendendus aliquandiu. Alii unica, alii pluribus egent dosibus, & tum praecipue, ubi doses priores nimis parcae erant. In experto habetur, exiguum dosin in dysenteriis diuturnis sine usu fuisse. Si tertia quartave vice sumtum est, sedes raro cruentae esse solent, tormina sopita sunt, & sublata est Cacophoria, neque adeo tenax redit mucus. Ieiuno deglutitum tempore, optime operatur. Ante trihorium deinde bibere non conductit, nisi orto vomitu. Dare idem non licet in diarrhoeis colliquativis, phthiseos tragoediam claudentibus. Cave vero, ne quamvis diarrhoeam, corpus depascentem, pro colliquativa habeas bbb), & ob errorem hunc detinearis, quo minus auxilium aegroto adferas.

### §. 19.

Si ingestum est vitrum antimonii ceratum, interdicendus est usus liquorum, fermentatione exercitatorum ccc); suadenda vero sunt lacticinia cum Oryza & pane, aut iuscula gallinacea, cremorve hordei. Aegrotus nil ingurgitet frigidi, nisi subinde parum gelatinæ Cornu Cervi ddd), & ad reficiendum

bbb) Egregia hac de re habet Illustr. van Swieten, Comment. T. II. p. 382. Rarus hic est affectus, & vix unquam admittit sanationem. Quis enim putet, vitrum antimonii ceratum destructa plane viscera

restituere posse?

ccc) Rationem fusius diximus §. 15. h. d. ad quaest. 7.

ddd) Videtur cautela haec morbo ipsi magis, quam medicamenti usui deberi.



dam linguam, succis irrorantibus exhaustam, fallendamque fitim, conditum Ribium potest permitti.

### §. 20.

Gravidis, lactantibus & fugentibus tuto exhiberi potest. His ad granum dimidium \*). Si in fluxu dysenterico adsint tormenta vehementia cum caloris in abdomine sensu, prius dari non debet, quam dolores convenientibus remediis facti fuerint mitiores. Nil metuas mali, quamvis XII. aut XV. doses exhibere cogaris. Prodest, sive dysenteria epidemice grasseatur, sive sporadice. Inter 190. aegrotos nullus, sumto hoc medicamento, mortuus est. Quo in subtiliorem pollinem redactum est vitrum, eo fortior vis esse solet, ita, ut unum granum talis pulveris plus praestet, quam duo grana, grosso modo triti. Omnia acida vegetabilia vim eius emeticam quam maxime, & ad vitae periculum usque, augent eee), hinc eorum usus tum prorsus erit interdicendus, nec unquam, si bolum inde conficeret velis, acidi syrapi adhibendi sunt. In uterinis evacuationibus usus eius sit constans per XVIII. aut XX. dies, eoque solo in virgine XVIII. annorum fluor albus curatus est. Iungi ipsi queunt extracta amara, ut dolores ventriculi, interdum oriundos, antevertant. Ea, quae §. 15. n. 6. notavimus, iubent hanc quoque addere quaestionem: Annon proficuum foret vitro antimonii cerato vel praemittere vel iungere absorbentia, quae acidam saburram, in primis nidulatam viis, inefficacem redderent, ne esset, quod metuereatur hyperemesis? Cur Dominus Pringle usum eius pertinacioribus dicare tantum velit morbis fff), non video. Interim tamen certum esse existimat idem, ibi praesertim, experientia teste, vitri huius usum conducere, ubi non violata nimis intestina sint, neque nimium febricitet viribusve deficeret aegrotus.

### §. 21.

\*) Hic vero cautius mercandum esse  
autumo, quoniam fugentibus lac  
saepe acescit, & colostro caseofo  
intestina saepe infarciuntur, quod  
mora acrius redditur.

eee) Conf. §. 15. h. d. quaest. 6. &  
habebitur ratio huius cautelae in  
responsione ad quaestionem 2.

fff) loc. §. 16. h. d. not. tt. dicto.

### §. 21.

Progredimur ad aliud dissertationis nostrae caput, discussu aequo necessarium ac iucundum. Scrutabimur, *quomodo agat vitrum antimonii ceratum in corpus nostrum*, & quamnam praecise ipsi inferat mutationem. Reducamus istud, quantum fieri licebit, ad certam medicamentorum classem. Investigabimus, utrum specificē agat, nec ne. Tentabimus, num sub canones quosdam generaliores revocari queant isti, quibus opem fert, morbi. Hoc enim modo demum castis consecratiis divinare licebit, annon & in aliis, quibus corpus nostrum affigitur, aegritudinibus, sua pro sit efficacia, quae sane tanta est, ut vere & medicos in ecstasi rapiat, cum morbos, quamquam pertinacissimos, uno fere iectu, ope eius iugulent quasi. Ego certe, tam felicibus coactus eventibus, vitrum hoc singulare divinae benignitatis specimen sua digne satis concelebrare laude non valeo, & supremum desuper sufficienter venerari Numen, quod indies nova caducis mortalium membris largitur fulcra, sanitatis, à millenis labefactatae causis, praesidia, spem fere nunquam deserentia.

### §. 22.

Iuvabit attendere ad ipsa præparationis momenta. Vitrum antimonii obductum est vernice §. 14. Inde hae formantur conclusiones: 1) Ergo arsenicum, in vitro antimonii inclusum, nullis amplius patet menstruis, nisi iis, quae corrodere possent vernicem \*). 2) Ergo, si forsitan spiculis acutis metallicis ageret vitrum antimonii, actio horum obtusa esse deberet atque hebes. Certe impedit vernix violentam spiculorum in membranas intropressionem ggg). Inde quoque minor foret, quem imprimere iis possent, stimulus. Theorema hoc, quamvis non plane exceptione omni maius sit, multam tamen veri habet speciem, & ex eo usum medicamenti nostri aliqualiter §. 30. demonstrabimus, in explicatione virtutis anti-dysentericae occupati:

Verum

\*) Conf. §. 15. quaest. 1. 2. cum re-  
sponsis. ggg) Adde §. mox cit. quaest. 3.



Verum vim, qua hyperemesin sistit, inde non explicare audeo. Quis enim dixerit emeticorum obliterari potentiam à medicamento, stimulante quidem ac irritante, sed lenius id per agente? Interim tamen haec vis verè in antimonii vitro cerato latet. Evidentissime hoc in apricum produco experimento, abs me instituto, & amicorum quorundam testimoniis facile confirmando. *Cani adulto, non nimis robusto, parce pasto, exhibui vitri antimonii crudi, grana VIII. Ubi iam apparatus ad vomendum post boram ingruebant, ingessi ipsi grana XII. vitri cerati.* Nolui enim expectare ipsum vomitus actum, ne medicamentum anti-emeticum eiiceretur unā. *Canis ab initio intremuit aliquantum, tranquillus deinde redditus, per quadriborium tristis iacuit, dormiturientis ad instar.* Neque deiectiones alvinas expertus est, neque vomitus; mascule deinde iterum appetiit, vebementer cibis delectatus, & alacriter per museum errans. Quid, quod? nonnullos post menses eundem vidi, bene curata cute, per plateas discurrentem. Annon experimentum hoc virtutis anti-emeticæ certissimum est argumentum? Idem probatur, dum hyperemesis, à VII. gr. Mercur. praecipit. Wurzii orta, sex granis stibii huius cerati sedata hhh). Repeto igitur, stimulum, additum alteri, quamvis minorem, excitare magis, quam sedare motus, in ventriculo maxime, & proinde in loco hoc vitri antimonii cerati actionem non explicari posse solo minore stimulo, quem ventriculi membranis applicat.

### §. 23.

Patet ex his considerationibus, fieri vix posse, ut à priori, ut aiunt, multum lucis problemati nostro possit adsundi. Tentabimus, utrum à posteriori aliqua habeamus, nobis proficia. Si morbos iii) apud me cogito, quibus haetenus vitri cerati usum dicarunt medici, itidem parum fructuum inde mihi nascitur. Aliquos inde deducam Canones. Eorum *primus* sic se habet: Prodest in nimiis excretionibus quibuscunque, destructionem vasorum, liquida naturaliter coërcentium, eorumque

hhh) Edinburgh. Bemerkungen. Tom. iii) Conf. §. 17. h. diss.  
cit. pag. 258.

demque maiorum, non comitem habentibus. Vix enim autumo, tum quoque id profuturum esse, si à materia quadam acri aut ferramento dilaceratae sunt vasorum tunicae, vasaque violata fuerint vel maiora, vel multa, vel arteriae, quamvis non insigniores. Inde nec prodesse potest in *diarrhœis colliquatibus*, quod observatione sua *Practicus dexterimus*, b. Dn. D. Riecke, *Physicus olim primarius Stuttgardianus*, confirmavit. Alter *Canon* sic exprimitur: Prodest in morbis, à debilitate intestinorum tono oriundis. Docet id *Colica pituitosa & saturnina*. Tertius. Conducit, quamvis sedes morbi non sit in primis viis; ergo & in loca agit remotiora. Discimus id, dum efficaciam eius in haemorrhoidum nimium fluxum, album fluorem, haemorrhagias varias, excretionum aliarum multas species, ruminamur. Quartus. Proficuum est, quamvis notabiles etiam lateant obstructiones. Elucet hoc ex febribus intermittentibus, quartana maxime, per medicamentum nostrum curandis, quae ut plurimum alicubi in abdomen quandam arguere iubet obstructionem.

### §. 24.

Verum, quid inde ad theoriam aliquam condendam? Illa potissimum moveri alicui posset suspicio, num non agat *adstringendo*? Ast, neque hoc dici posset, sine fallaciae formidine. Varia impugnant sententiam hanc argumenta. Si adstringeret, nullas evocaret ventriculi subversiones, nullas sedes, quas tamen multoties excitat. Retineretur materia peccans, post aliquod tempus novas minitatura turbas. At recidivae sequuntur nullae, neque alia pedissequa corpus pati debet detrimenta. Excell. Dn. Praeses aliique Viri, eruditione sua clarissimi, post frequentem & diu iam protractum eius usum, id didicerunt; ita, ut ne unicus quidem aegrotus inde male haberit. Confirmant idem Edinburghenses. Ergo vel corrigi vel eliminari debet materia morbifica. Norunt enim omnes, quanta malorum turba apertis irruat portis, ubi, praematro fervore, cortice peruviano aliisque adstringentibus febris intermittens sopita quidem, fomes vero non extinctus est.



Quanta quaeso mala non persequerentur corpus, quando materia, albo fluore excernenda, retineretur? Putresceret stag-nans, partesque arrodens, tristi sphacelo scenam clauderet tragicam. Neque vero medicamentum nostrum agit *evacuando*, cum multoties sine ulla evacuatione sanitatem amissam restituerit.

### §. 25.

Neque vero quodam adscribi potest iure isti medicamento-rum classi, cui *Bærhaavius sifentium* nomen fecit kkk), de qui-bus asseverat, quod nervorum stimulum specifice destruant; illisque maxime adnumerat opium corticemque Peruvianum. Cum enim saepe vomitus faciat, & haud raro (licet in contra-rium etiam non plane infrequentia sint exempla) sine stimulata alvo cura absolvatur dysentericorum & diarrhoeis laborantium, equidem non ea ero audacia, ut sub hunc referam medicamen-torum phalangem nostrum è stibio praeparatum vitrum. Ad *relaxantia* referre, sine piaculo ne cogitare quidem licet. At, si morbus corpus vexat *cum materia*, ut dicere amant Patholo-gi, neque ulla excretio usum vitri antimonii cerati sequitur, quid tum? Quomodo agitur circa materiam peccantem? An nostris iterum assimilatur humoribus? An transpiratione insen-sibili nostro difflatur è corpore, antea praeparata sufficienter? Sane circa hanc rem aliqua mihi subnascuntur dubia, quae Oedipum, non me Davum postulant.

### §. 26.

An agit *specifice*? Ardua quaestio! an dantur *specifica reme-dia, maxime interna*? Inquiramus hanc in quaestionem! Primo loco investigemus, quid sint *specifica interna*. *Remedium spe-cificum internum* est tale remedium, quod uni tantum corporis parti dicatum est; aut & tale, quod uni morbo & uni eius spe-ciei, certe utplurimum, medetur; ita tamen, ut usum eius aliis sub circumstantiis aliisque morbis non semper excludat. Sed, si hoc posterius praestat, id revera tamen ad *specificum eius agendi modum* non pertinet, qui ad unicum tantum re-strin-

stringitur morbum, & quandoque ad unicam eius varietatem aut speciem; ita certe ipsis exemplis interpretari specificorum notionem legas Medicorum celeberrimos. Non confundi debet haec specificorum idea cum curatione ista particulari *Bærbænni*, qui III) per eam intelligit talem, ubi remedium in malum solummodo agit. Sic v. c. Opium, in dysenteria exhibatum, solum in nervos suam exercet narcosin; inde tamen non specifica gaudet vi anti-dysenterica, sed tantum quoddam levat symptomata, dolores puta.

### §. 27.

*Specifica interna dantur nulla*, eo maxime sensu; quem priorem exposuit proximus aphorismus. Et si quae apud autores dantur, non sunt nisi splendida ignorantiae asyla. Remedia haec vel lactea subeunt vasa, sanguini suffundenda, vel in solidis viis primis operantur. Si prius est, tum per totum corpus torrente purpureo ad quaeque rapiuntur puncta, & ubique resistentia partium nostrarum minor est, quam medicamentis vis, suam exserent efficaciam & activitatem applicabunt tam solidis quam fluidis. Neque hic valet, quam ruinoso satis adhaesionis fundamento superstruxit Cl. *Boissier* mmm), de specifica medicamentorum actione, theoria, unâ cum fundamento suo facile evertenda. At in auxilium vocabis forsan observationes, à natura abstractas, quibus didicisti, etiam non admissa adhaesionis principio Hambergeriano, in hepate secerni praecise bilem, non urinam, in renibus hanc, nec bilem, & sic porro; putas, tuto inde formari conclusionem, ita quoque posse alias corporis partes, externas internasque, faciliorem experiri horum illorumque medicamentorum actionem. Nisi haec, alia nulla erit evadendi spes. Verum hoc rediret & reduci deberet ad effectum œconomiae corporeae humanae, cuius causam ignoramus, sufficiat autem illum experimento cognovisse, modo certè is semper adsit. At forte dabuntur specifica,

III) Aphor. de cognoscend. & curand.  
morbis. n. 9.

mmm) Abhandlung von den Arzneyen,

die in gewisse Theile des Körpers  
mehr als in andere würden. Conf.  
Hamburg. Magazins T.XI. p 5. sqq.



cifica, in *primis viis* suam exserentia facultatem? Verum quomodo? Varia ratione nervos ibi determinari posse, negamus neutiquam, sed ubinam est aliquid specifici? Oportet, id ut intelligamus, plenissime cognoscere, atque profundissime omnes possibles relationes nervorum ad medicamenta, & horum ad nervos, quas ante ultimam ætatem nulla forte denudabit dies. Has vero abnegare in totum audebit nemo, cum toties observatio earum varios nobis offerat effectus. Certe in Opio & Cortice Peruviano nil tale patet & rationi & sensibus, & me iudice falsa plane est consequentia, quam aliqui suis formare videntur in ratiociniis, id medicamentum omnino esse specificum, cuius agendi modum nondum satis perspectum habemus. Quot, quaeso, in promtu forent huius census specifica? Forsan agit ille Cortex Peruvianus, quem ut plurimum nostris invenimus in pharmacopoliis (de eo enim, ceu usitatisimo & vix ultra medium bonitatis notam ascende, hoc vallet) dum adstringendo leviter, roborat. Videtur velificari huic sententiae *Illustr. van Swieten* nnn), dum aperte fatetur, inducias solùm promittere corticem, non sanare. Multum vero ab eo distamus, ut optimo isti & selecto cortici, quem vero raro aut nunquam, certe parce admodum, vidi Germania, amaritiem & acrimoniam aromaticam denegare velimus, eumque inter adstringentium vulgus referre.

### §. 28.

*An reducitur antimonii vitrum in regulum per incerationem?* Iam aliqua monui ad §. 14. Ostendi ibi experimentis, tam iis, quae fecit *Dn. Geoffroy*, quam nostris, vix verosimile esse, ut educatur in regulum antimonii vitrum. Interim tamen mirum cuidam hoc videri posset, quoniam cera insignem phlogisti quantitatem in se continet, ita, ut à priori vix adeo careret probabilitate, si existimares, veram fieri reductionem. Norunt enim omnes, qui vix primis, ut aiunt, labiis chemicam degustarunt artem, nullius nisi phlogisti additione opus esse,

nnn) *Comment. in Boerhaavii aphorismos T. II. p. 538.*

esse, ubi calcem aliquam metallicam in pristinum integratissimum restituere volunt, si quidem restitutio talis locum inventit. Verum enim vero, quamvis hic multa adsint reductio-  
nis requisita, vix tamen videtur ea nostrâ fieri in praeparatione. Sufficiens quidem adesset phlogisti quantitas; interim tamen non ita disponuntur encheiresi praeparationis particulae vitri minimae, ut introrapiant principium inflammabile. Certe, si vel plurimum largiri velimus, eam non plane ineptam iudicaremus suspicionem, qua quis autumaret, superficiem externam vitri mutari in regulum. Verum, licet id, quamvis non demonstratum, admitteremus, neutquam aliquid inferri posset circa actionem, quoniam antimonii regulum easdem exhibere utilitates oportet, cui vero experientia abunde contradicit. Ergo in antimonii vitro cerato nulla in regulum reduc-  
tio, certe, si ulla foret, foret admodum imperfecta!

### §. 29.

*An agit dividendo & divertendo motus?* Proposuit quaestio-  
nem hanc Excell. Dn. Praeses in dissert. supra memorata pag. 29. Non succensebit benignissimus Praeceptor discipulo, qui ulterius eius inquirere in sententiam conatur. Licebit diducere magis & evolvere quaestionis huius verba. Ita vero se habebunt: Videmus iis in casibus, in quibus proficuum est cera-  
tum antimonii vitrum, intestinorum maxime nervos, nerveas-  
que eorum tunicas singulari irritari modo, omnemque fere morbi impetum huc ruere. Annon per medicamentum hoc fit, ut etiam cum aliis partibus, maxime intestinorum vici-  
nia, is impetus communicetur, ut minor mali vis sit in ner-  
vos intestinales, divisus iam ferociae theatris, & per plura lo-  
ca, aut & sursum versus ventriculum, aucto motu, scil. anti-  
peristaltico, impetuque diviso, ita, ut *partim* plura puncta,  
quam prius adficiantur, & ita distributis ferociae applicatio-  
nibus, singulae minus doleant; *partim* etiam motus excitetur  
& stimulus, stimulus morbi plane contrarius. Haec sunt ea,  
quae ad quaestionem rite intelligendam fusius dicenda erant.  
Inveniemus quidem, explicationem hanc non omnibus suffi-  
cere



cere morbis, quibus opem fert ceratum antimonii vitrum, nisi dicas, in iis morbis, qui magis ab intestinali tubo distant, solam revulsionem, motū in eō excitato per vitri applicationem, effectibus desideratis parem esse. Attamen morbi quidam, quibus maxime medicamentum nostrum ab inventoribus suis fuit dicatum, dysenteria maxime & diarrhoea haud parum lucis inde sortientur.

### §. 30.

Si scil. nostras has, de agendi modo, theorias ab omni vanarum hypothesium suspicione liberas esse volumus, non nocebit ita argumentari: Vitrum antimonii ante incerationem emeticum fuit. Jam vero mihi neutquam curae amplius erit, operationem vitri antimonii crudi huc denuo revocare. Quomodo cunque id agat, par mihi erit. Sufficit nosse, quod ceratum non vomitus producat, solvi nequeat in ventriculo, neque in vasa lactea possit intrare. Agit igitur contactu suo. Immediatus vero hic non conceditur; quomodo cunque deinde superficiem cerati putaveris figuratam, idem est. Satis est observasse, & indicasse superficiem mutatam, qua in nervos etiam variatur efficacia & agendi modus. Ex hoc impedito immediato contactu deinde intelligitur, cur minor ista sit efficacia, quam iam in corpus exercet antimonii vitrum, bituminosae vernici inclusum; forsitan enim, cum extractio arsenici per vernicem denegetur, vitrum alia iam agit ratione, quod effectus docet, cum non libere efficaciam suam possit exercere, incrustatum cera, quae crusta tamen adeo tenuis & laxe inhaerere videtur, ut vero vix sit simile, omnem extinguere vim stimulandi, ut maneat aliqua, vomitui quidem impar, sed par tamen succutendis leniter nervis, & alia ratione, ac morbi materia, & alias in directiones, & in ventriculo forsitan praecipue. Puto igitur, ventriculum eiusque nervos, sub dysenteriis & diarrhoeis minus vexatos, talem excitari ad motum, qui, motui morbi peristaltico oppositus, sursum agit, maxime ubi ex observationibus repetimus, alium esse ad vomitus quandoque, quandoque stimulus aliud ad alvinas defectiones. Haec praecipue eos facile

cile habebunt assentientes, qui de Stahlii secta morbos hos inter morbos motuum numerant. Fortasse etiam hoc modo agit *Squilla*, ut quidam autumant, variis in pectoris affectibus. Dicunt, eam solo forti operari stimulo, quem ventriculo imprimit, & fibrarum tensiones & humorum congestiones in pectus factas, iam determinari & derivari versus inferiora. *Forsitan* quoque cera, quamvis immutata aliquantum, tanquam *evporatum* contra diarrhoeas & dysenterias remedium, laxando, leniendo, mulcendo tensas a stimulo morbi fibras, proderit. *Forsitan* & sua tenacitate, roborat fibras, relaxatas post nimis crebras tensiones. Videtur id probare observatio practica *Exc. D. Praefidis*, qui vitrum, post dysenteriam trium hebdmadum, iam quoad excretiones alvinas remittentem, & summa virium prostratione, plenoque ciborum omnium fastidio praecipue molestam, exhibitum, vidi insequi cito vigentem appetitum, & vires ad miraculum renatas.

### §. 31.

Transimus ad explicandam *Pictorum Colicam*. Putasset quis, theoriam hanc supponere semper irritationem nervorum abdominalium, quae omnino hic non est, cum potius paralysis obtineat. *Celebris Amstelodamensium medicus, Dn. D. Grashuis*, nuperrime demum suis demonstravit observationibus \*), specificam contra *Pictorum* colicas methodum, adstrictivis opus habere, iisque validioribus. Possent igitur hae aliquod movere dubium, utrum simili modo & in hoc morbi genere operetur vitrum antimonii ceratum. Interim frequens nos docet experientia, morbos, nervis quamvis non directe insidente, discuti tamen posse, facta in hos ampla satis impressione, quae divisa vi faciat, ut impetus, cum unam deserit partem, cui nimium insidiabatur, & minuatur, & in salutem cedat minutus eo ipso, excitetque alias

\*) Passim has indicavit in tractatu suo, quem inscripsit: *De colica pictorum tentamen*. Acc. de natu-

ra, sede ac origine hydatidum, disquisitio. Amstel. 1752.



alias partes fibrasque contra damna , quae aliis minatur morbus. Succinit etiam ratio , quae (prouti nos in universum docet , magnam esse nervorum in partes omnes efficaciam in sanis & aegris) monet , nervos vasis , sanguiferis maxime , & membranis ita implantari & innecti , ut experientiae problema huius generis non adeo difficile solitu videri possit.

### §. 32.

Fatemur , alibi difficiliores esse nodos , ubi de aliis excretionibus sermo est , & praecipue ubi de *haemorrhagiis* agitur. Salva tamen res est , si *partim* ex praxi medica revocare in animalm placet , morbos plurimos , quorum subiectum ab intestinali tubo maxime remotum est , sanari tamen posse , sola mutatione notabili , nervis ventriculi aut intestinorum impressa ; vel , ut rem generalius exprimam , facta quacunque notabili hunc intra tubum intestinalem mutatione ; *partim* , ubi e principiis physiologicis revolvimus , esse summam ventriculi nervorum & mesenterici plexus mobilitatem , influxum consensumque cum aliis , longissime dissitis ab his regionibus , partibus . Hac igitur ratione certe non amplius adeo obscura manet actio medicamenti nostri ; quamvis inficias ire nequeamus , multa hinc inde dubia adhuc suboriri , si ultimum ad usque unguem haec inquirere conabimur . Satis est interim , tantum dixisse , quantum in re tam ardua nostri qualiscunque ingenii dotes suggesserunt . Neque vero hoc oneri erit *Optimo Praeceptori* , quod effatum eius variis adhuc subiaceat dubiis , cum , uti optime novi , quaestionem hanc non ita voluerit intellectam , ut certum extaret eius hac de re arbitrium , quod ex dubio enunciationis modo abunde patet .

### §. 33.

Verum , quamvis exacte plane modum agendi determinare non valeamus , id tamen nulla ex parte usum eius & utilitatem offendit . Unicum id inde redundat incommodum , quod aliis adhi-

adhiberi morbis non ita queat, ut iam a priori certò efficaciam eius praesagire possumus. Verum, cum utplurimum in praxi medica casuum analogia nos ducat, eam hic quoque sequi oportet. Vix igitur multum errabit, qui ab ipso aliquid efficacis auxiliī expectabit, ubi notabilis abdominalibus nervis, & toti nerveae corporis compagi imprimenda est alteratio. Inde hae quaestiones natae sunt, quarum veritatem & resolutionem investigent alii. Ego certe, cum iam praxi admovear clinicae, omnem navabo operam, ut eas olim diducam ulterius, & castis observationibus providoque usu, cogitata haec vel confirmem vel corrigam, vel & augeam.

### §. 34.

- I. An prodest in epilepsia, maxime ea, quae a terrore subitaneo, aliisve leviorum radicum causis, ortum traxit?
- II. Quid, si adhiberetur convulsis?
- III. An plurima antimonialia solo arsenico efficacia?
- IV. Num conductit eius usus in exanthematibus retrocedentibus?
- V. Quales effectus ederet, si a rabido cane admorsis exhiberetur?
- VI. An palliative prodest in morbis, a verminosa colluvie oriundis?
- VII. Medeturne gonorrhoeae benignae? nocturnis pollutinibus?
- VIII. An licet id exhibere ad diarrhoeas fistendas, sub morbis acutis ingruentes? an vero tum medicamenta leniora preferenda?
- IX. Quid in lienteria? cholera? ileo?
- X. Proderitne in urinae alvique incontinentia?



- XI. Num prodest in ea diabetis specie, quae solam tubolorum secretorum nimiam amplitudinem pro causa agnoscit?
- XII. Annon & alia corpora, metallica maxime, per se noxia, ut Arsenicum, Mercurius sublimatus corrosivus &c. simili-  
ter cera corrigi possent? Quis deinde eorum usus, si qui-  
dem id fieri poterit?

### §. 35.

Hanc prius absolvere non possumus tractationem, quam no-  
stros monuerimus lectores, hae dum typis exscriberentur pagi-  
nae, incidisse nos in *Comment. Lips. de rebus in Scientia naturali & medicina gestis T. IV.* ubi p. 76. variae novae deprehenduntur circa medicamentum nostrum observationes, ex promptuario isto, *Gentelman's Magazine* dicto, descriptae. Maxime notandum in-  
de venit, adhibendum praecipue esse antimonium compactum, rubrum & transparens; denegari vitri cerati usum in alvi fluxu eo, qui ab inflammatione thoracis aut abdominalis alicuius vi-  
sceris ortum traxit; porro in aegris, haemoptysi vomituique  
cruento obnoxiis, aut quibus descenderunt intestina, necdum  
fuere reposita; neque detur ante V. S. administratam plethori-  
cis. Absit in febribus ardentibus aliisque morbis, quorum exitus  
esse solet in phthisin. Exulet in dysenteria, quam resolutio san-  
guinis exceptit, & ubi deiectiones fieri solent praeter voluntate-  
m, aquosae & inodorae. Habetur etiam ibi exemplum, ubi in  
epilepsia, ut & mania, effectus egregios, L. vicibus exhibitum,  
demonstravit. Reliqua, minus necessaria, & temporis & spatii  
ratio, vetant describere.

### §. 36.

Unicum restat, quod omitti sine errore nequit. Est varia-  
tio aliqua remedii huius, quam excogitavit *Dn. Geoffroy* <sup>ooo)</sup>. Tentavit terere antimonii vitrum super porphyriten, cum li-  
quore quodam, qui sufficeret ad levem ibi relinquendam oleosi  
por-

<sup>ooo)</sup> Memoires de l'Acad. Roy, an. 1745, paginis dictis.

portionem. Didicit, vitrum, hac paratum ratione, parcissimaque exhibitum dosi, eandem exserere efficaciam, ac quidem vitrum antimonii ceratum, quamvis hoc dupla triplave dosi datum sit. Putat, oleosam spiritus vini, quem hic adhibet, partem, vitri obducere superficiem, & sic vernicem aliquam constituere. Attamen vitrum, hac praeparatum ratione, aequa tutum non videtur. Primo enim vero non est simile, oleosam spiritus vini partem sola laevigatione separari a partibus eius reliquis, & sic constituere vernicem. Secundo: si vere tali obduceretur vitrum antimonii vernice, adeo subtilis illa esset, ut resistentiam vix multam obverteret liquoribus ventriculi, eam diluentibus nimium & abstergentibus. Tertio: cum dosis medicamenti huius nequaquam eadem semper esse possit, facile poterit fieri, ut nimium eius ingereretur, corpori noxa futurum. Valida satis haec esse argumenta censeo. Verum ipse postea Dn. Auctor in alio scripto ppp) hanc reiecit praeparationem, & minus fidae ceratum anteposuit antimonii vitrum.

### §. 37.

Haec igitur ea sunt, quae de vitro antimonii cerato differi debebant. Spero, sermonem meum ita esse institutum, ut suos in praxin medicam emanare iubeat usus. Quis dubitabit, id commendatum sibi habere medicamentum, quod tot tantorumque Virorum & suffragiis & observationibus praestantiae auctoritatem nactum est? Quis me inutilem egisse dicet laborem, dum plurima, quae de excellenti tali remedio dicere permittebant tenellae nostrae vires, sollicite congesi, & quoquo modo ausus fui confirmare? Dulcissima erit laboris remuneratio, summumque in nos inde redundabit oble&tamen-tum, si vel uni homini contingere ea felicitas, ut nostra hac qualicunque opella sanitas ipsi ac vita restitueretur; quod ut fiat divinum Numen supplices oramus!

ppp) §. 16. h. diss. not. ss) dicto.

T A N T V M!



PRAENOBILISSIMO, ATQVE DOCTISSIMO

# DOMINO AVCTORI DISSERTATIONIS HVIVS

S. P. D.

P R A E S E S.


*Quod addo dissertationi Tuae, praesens habet epistola, quae quidem isti Tuo labori bederam non suspendet, qua nec opus habet. Monstrasti mibi per partes, prout Tuis excidebant & manibus, & meditationibus, hanc Tuam dissertationem; voluisti, ut indicarem candide, si quid mea ex mente monendum foret. Legi summa cum voluptate laborem, Tuis certe annis imparem, id est, maiorem, amice tamen aperui passim meum a Te dissensum in rebus minoris momenti, Tuoque libero mutationes permisi arbitrio, nec enim meas in partes quemquam trahere cupio, quem non argumentorum vis convincat, quae non eandem in omnes efficaciam habet sine ulla veritatis ipsius culpa. Libere autem & Medici a Medicis dissentire passim queunt, absque ullo metu, ne dissensum luant aegri. Et haec de ipsa dissertatione Tua.*

*Quod reliquum est, gratulor Tibi ex animo de felicissimo studiorum Tuorum academicorum fine; gratus, fateor, fuisti mibi discipulus, gratus incola mearum aedium ultra triennium, quo multum etiam frui licuit laborum socio. Venisti ad nos largiter undique imbutus, ornatusque scientiis illis omnibus, quae ad altiores prosperrimum transitum, & academicae vitae amplissimam polliceri messem possunt.*

*Haec*

Haec iacta fundamenta, morum probitate conseruata, indefessa cum industria Medicinae applicuisti, nec ad eam quid pertinebat, intactum reliquisti; Tuam ego diligentiam, si quis alius, expertus fui, occupatam continuo. Chemiam quantum excolueris! haec Tibi testari dissertatio potest, quae Tuam etiam prodet in practicis medicis prudentiam. Sed multam etiam Anatomiae, Botanicae, Historiaeque naturali operam nauasti, & quae proprie ad Medicinam spectant, ut plene imbiberes dogmata, studuisti sane acerrime. Nam hos Tuos academicos annos foenori da, & faustissimam adi praxin clinicam, quae repetitis Tibi exemplis gratissima praemia soluat & lucra saturati satis theoreticis scientiis animi, quae fausto compenset curarum, & meditationum circa aegros & sanos operosas anxietates consiliorum euentu, si quidem missa vanitate omni, Medicorum turpitudine summa, & fune multos aegrorum strangulante, obseruata contra vera in Deum pietate, quae cito satis levitatem clinicae praxis dissipat, sua que sapientia ex homine finito ubique facili opera bonum format & in prima praxi Diagnostam, Prognostam, & Therapeutam, clinicae praxi admoueris manum. Quam felix his adiutus eris auxiliis, quibus, quidquid alii sentiant, carere bonus Medicus non potest, quantumcunque humanae possideat sapientiae. Sequere hoc meum consilium, quo Te publice dimitto, nec Te poenitebit olim huius obsequii; & sic amare me perge. Vale, iterumque vale! Scripsi e museo meo, Tubingae D. XXX. Mart. A. R. S. MDCCCLVI.





\*\*\*    \*\*\*    \*\*\*

**I**mpense *TIBI* gratulor, *Praenobilissime atque Praestantissime*  
*Domine Licentiate*, *de egregio quod hodie in publicum emittis,*  
*eruditionis TVAE solidorumque TVORVM in medicina pro-*  
*fectuum specimine*, *quos eo ipso nemini non abunde das comproba-*  
*tos. In eo iam es*, *ut in rem praesentem veniens*, *ad ipsos nunc*  
*aegrotorum lectos eorum quae addidicisti*, *facias periculum. Equi-*  
*dem omnium nostrorum in medicina conatum ultimus quasi finis*  
*est*, *& corona operis, praxis, qua misericordia aegrotis exoptata red-*  
*datur sanitas*, *sicque commoda quam plurimum adiuventur publi-*  
*ca. Ita Republicae enim utiles evadimus*, *finemque quem medici-*  
*na sibi praefixum habet, attingimus optime*; *Ad quem finem omnia*  
*nostra collineare debent conamina. Hoc ipsum vero ut facias fe-*  
*liciter, utque *TIBI* in hoc opere omnia prospere fluant*, *id est*,  
*quod animitus exopto*; *Exoptata quippe *TIBI* quaevis augurans*  
*apprecansque. Vale faveque *TVI* studiosissimo*

Tubingae die 2do April. 1756.

**TH. BENI. FABRO,**  
**Med. D. & Prof. Extraord.**

\*\*\*    \*\*\*    \*\*\*

**F**reund, treibe noch so hoch die Kunst gesund zu machen;  
 Vermeiden kannst Du nicht, daß drey darüber lachen,  
 Die Zeit, der Tod und Du; weil ihr am besten wißt,  
 Daß Menschen sterblich sind, und alles eitel ist.

gratulabunda mente haec posuit

**IO. CVNR. GMELIN,**  
**Medic. & Chem. Dr. & Pharmacopola.**



